

Marco Antonio Bonciario Robertus Card^{lis} Bellarminus S.P.D

Libellum tuum, multos variosque libellos continentem accepi libentissime. Nam his longioribus diebus, horisque pomeridianis ad somnum fallendum mihi praesertim homini seni, et quem nullum genus lusionis delectat, nihil magis accommodatum offerri poterat. Itaque in hoc tuo libello, quasi in hortulo saepe fatigatus animus spatiatur meus, et nunc idylliis, nunc epistolis, nunc disquisitionibus, nunc variis carminibus vel italicis, vel latinis quasi flosculis recreatur. Sed praeter ceteros huius hortuli tui fructus, votul laconismi, quod in epistola ad Lipsium legi, mirifice palato meo arrisit, quamvis ego laconismum potius fidei nostrae magistrorum, quam vel Taciti, vel Lipsii admirer, et amem. Vere enim in tertio libro ecclesiasticae historiae scripsit Eusebius, Quotquot de schola Christi scriptores prodierunt, eos omnes in rebus maximis scribendis brevitati supra modum studuisse. Testis est B. Lucas, qui praefatione ad evangelium suum tam paucis verbis comprehendit, ut paucioribus non posset. Testis B. Ioannes, qui exiguo volumine complexus est materiam, de qua tot libri fieri poterant, quot mundus non caperet. Testis B. Paulus, qui ad tertium coelum evector, angelorum condiscipulus ipsam Dei sapientiam magistram habuerat; et tamen brevissimum tantum epistolarum libellum post se reliquit. Nimirum in hos quadrat quod de Iugurtha Sallustius scripsit, plurimum facere, et minimum loqui. Sed nescio quo modo dum laconismum laudo, imprudens in multiloquium incido. Ago igitur gratias, clarissime Bonciari, de libelli munusculo ad me misso, et ut aliquo modo etiam referam, abbatem Ciaium discipulum tuum monebo, ut Neapoli condituras sacchareas, atque rosaceas quam optimas, et quam citissime ad te mittendas curet. Vale, et me virtutis, et doctrinae tuae admiratorem, ut facis, ama. Datum Romae die VI. iunii 1607.

M. Antonius Bonciarius. Perusiam.